

IN LOCO  
IN LOCO.  
DE DEO IN GENERE.  
THEOREMATA.

I.

**E** Tymon Dei vel est à *θεῖν* currendo, quod Deus nulli subsistat, aut quiescat, sed hinc inde præsto sit. Esai 66. v. 1. Psal. 139. v. 7. 8. 9. vel ab *αἶθειν* urendo, quia Deus est ignis urens & consumens, Dev. 4. v. 24. Hebr. 12. v. 29. vel à *θεῶν* contemplando, cum etiam Deus, abscondita videat, Matth. 6. v. 18. Alii derivant ab Ebræo *אין* quod abundans significat, absque omni mensura in se, & per se sufficiens, unde Ebræi suum *אין* præposito *א* ex *אין* deducunt, quia Deus, ut Rambam ait, non eget Essentia alicujus Entis, sed sua sibi sufficit.

2. Homonymia est, quod dicatur de Creatore, 1. Cor. 8. v. 4. De Creaturis, ut de Angelis bonis, Psal. 97. v. 7. De Idolis, unde Deus *αληθινός, λεγόμενος, φαινόμενος*, in sacris passim occurrit.

3. Synonyma sunt multa apud Ebræos, quorum Hieronymus recenset præcipua decem sequentia. 1. EL, quod LXX. *θεόν*. Aquila *ἰχυρόν* interpretatur. 2. Elohim. 3. Elohe, quod id ipsum DEUS dicitur. 4. Sabaoth, quod Exercituum Deum Aquila vertit. Eljon, quod nos excelsum dicimus. 6. Ascher Ejeh, quod in Exodo legitur. 7. Adonai, quem nos Dominum generaliter appellamus. 8. Jah., unde est in Hallelujah syllaba extrema. 9. *Τετραγράμματος* *יהוה* quod ineffabile Judæi putant. 10. Schaddai, quod omnipotens interpretatur, de quo supra.

4. Hic notetur (1.) non ritè EL Elohe & Elohim, ut distincta nomina poni, cum sint unum. (2.) Sabaoth non nomen per se, verum quando El vel Jehovah adjungitur, esse nomen complexum.

5. Ubi tamen silentio id minimè prætereundum est, quod citra diviniorem afflatum non videtur potuisse contingere: Nomen DEI omnes ferè gentes enunciant quatuor literis, nam quem nos Deum nuncupamus, eum Ægyptii Theut. Persæ Syre: Magorum disciplina Orsi, Ebræi ADNI Græci *θεός*, Germani Gott / Arabes Alla vocant: Jesus autem salutare gentibus nomen ab Angelo accepimus, Cæl. Rhodig. l. 22. A, L, C. 9. Gerhardus Tom. 1, L, C. cap. 4. thes. 21.

seqq.